

DIVUS IVO
PUBLICUS UTRIUSQUE JURIS
PROFESSOR,
INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ
TUTELARIS,

IN DIVI

STEPHANI PROTO-MARTYRIS,
BASILICA

Feria III. Pentecostes oratoria dictione,
DEFERENTE

Prænibili, Spectabili ac Magnifico Domino

GEORGIO LEONARDO
WEIGLER, J. U. DOCTORE,

Aulæ & Judiciorum ADVOCATO, Celsissimi &
Reverendissimi S. R. I. Principis Episcopi Viennensis C O N S I-
LARIO Consistoriali, supremi Aulæ Judicii Marechallici ASSE-
SORE, & Canonum PROFESSORE Publico Primario, nec
non Inclytæ Facultatis Juridicæ p.t. DECANO
Spectabili.

DEMONSTRATUS

A Prænibili ac Doctissimo Domino

JOSEPHO IGNATIO WALCHOWSKY,
à Walchenheimb A. A. L. L. & Philosophiæ Magistro Juris
utriusque Studioſo.

ANNO SALUTIS M. DC. XCII.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis LEOPOLDI VOIGT.

EXCELLENTISSIMO

AC

ILLUSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

**FRANCISCO
UDALRICO
KHINSKI,**

SACRI ROMANI IMPERII

COMITI

DE

**CHINITZ & TETTAU,
HÆREDITARIO DOMINO IN
CHLUMETZ, AURI VELLERIS
EQUITI,**

*SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE MA-
JESTATIS INTIMO ACTUALI CONSILIARIO,
CAMERARIO, SUPREMO REGNI BOHEMIÆ
CANCELLARIO, NEC NON EJUSDEM
AULÆ REGIÆ SUPREMO
PRÆFECTO,*

**DOMINO, DOMINO
SUO GRATIOSISSIMO.**





EXCELLENTISSIME
ILLUSTRISSIME
DOMINE, DOMINE
COMES.

Rinceps Facultatis nostræ D.
Ivo, qui duobus abhinc annis
ut publicus Artium Liberalium
Magister ad honoris Tui sub-
sellia gradum facere admissus
est, idem hodie ut publicus fu-
ris utriusque Professor ad be-
nignissimas gratia Tua fores præscriptas in hoc li-
bello præcipuas virtutum doctrinæq; sua capita &
theses

theses affigi per me supplicat Excellentissime & Illu-
strissime D. Comes. Non enim satis erat, semel
Te habuisse fautorem, nisi iteratis vicibus addictis-
simis Honori Tuo Clientibus suis Te demereretur
Patronum. Novit quippe, quam cupida favorum
Tuorum nostra sit Juridica Facultas, qua sicut Te
facile p̄a cateris unum suspicit, ita unum, quem
p̄a cateris rursus veneraretur, Studiosè elegit.
Magna siquidem Te inter E⁹ jurisprudentiam in-
tercedit conventio, magna concordia, concorsq;
ratio E⁹ cultus. Etenim, si vetusta est illius pro-
sapia; quis Tui evolvet stemmatis gloriam, tot
clari saeculorum Heroibus, quot deductis longissimā
serie Avis proavisque; Excellentes fuere ij omnes,
Tu aureo etiam caractere excellentissimus, hocque
uno superior, quod post mortem illi ob merita prate-
rita, Tu ob quotidiana dum mortalis adhuc es, im-
mortalis ut fieres merearis. Si illius est f̄us suum
cuique tribuere; quid magis commune Tibi, ma-
gisque domesticum? qui vel ideo Amplissimi Regni
pro cancellis sedere jussus es, quod nullus occurre-
ret, qui accuratiore bilance, Concordiam civibus,
Urbibus pacem, Tributa Cesari, DEO cultum,
Regnis E⁹ provinciis constantem posset dispensare
felicitatem. De sapientia Tua quā unā momenta
rerum librat Justitia, adducam nihil; non enim
ille sum Ego, qui tantum attingam verticem, quens
ipsum


ipsum Augustissimum Imperii caput Leopoldus
consiliorum suorum intimum esse voluit arbitrum,
ut, quem parem Atlanti viderat, haberet quoque,
qui parem Orbi Imperii molem secum sustentaret.
Hoc scilicet par Jovis est Cerebrum, ex quo non
una, sed decupla indies Pallades prodeunt quæ Sago
quæ Togâ eruditissima. Hinc parum errat, qui
publica Te felicitatis columen veneratur & pra-
dicat, postquam sciunt universi quod, quidquid
nostra est incolumitatis, aut authorem, Te agno-
scat, aut principem minimum adjutorem. Tuis
quippe Sapientiae oraculis in acceptis venit, quod
jam sapius, quæ dubia erant, facta sint certa, quæ
desperata, in firmum restituta, quæ perdita, in
lucrum sint versa publicumque Regnorum emolu-
mentum. Tuis consiliis, quod tot pericula in se-
curitatem, tot inimica fraudes, dolosaque machi-
nationes in augmentum Patriæ, tot clades & stra-
ges in ipsa novarum cesserint semina victoria-
rum! Hinc est, quod quo unus inclines, inclinent
singuli, à quo unus refugis, absterea omnes. Ni-
hil etenim loqueris, nisi ex Tripode Apollinis, ni-
hil consulis, nisi ex Diphtera Jovis, nihil moliris,
nisi cum Pandora felicitatis. Plura dixeré alii,
quæ licet summa fuerint, nihil Te dignum tamen
dixisse fatentur tot, quot Te, Tuaque in DEUM
& Cæsarem merita perpendunt. Quare, ne aqua-
lem

lens cum ijs Verborum jacturam faciam , sileo , id
unum precans , ut talis diu nobis maneas Tibique
incolumis vivas qualis es modo ; major enim cre-
scere non potes virtute factisque , qui in utroque
fastigium jam adeptus es summitatis . E quo si
indignum me benigno oculo respicere dignaberis ,
erit , qui indelebili syngraphâ se Tibi in mancipium
subscribat .

Excellentissimæ & Illustrissimæ
Dominationis Tuæ

Aeternum devotus Cliens.

Josephus Ignatius Walchowsky
à Walchemheimb.



ORATIO.

Antiquissima Populorum Imperatrix Justitia, quemadmodum, quamdiu Gentiles inter, & Ethnicos pro Tribunali sederat, cuncta & singula ad unicam tantum, eamque Civilem Juris Regulam examinata deciderat; Ita, quamprimum Renovato per Christi legem terrarum orbe Christianitatis partes assumpserat, auctâ in immensum diversitate litium, portandis tot unâ service oneribus impar, duplii sibi providit de Capite, quorum uno, quæ res essent Ecclesiæ, quæ negotia Civium, altero disceptaret. *Magnifice Domine Redor, Magnifice ac spectabilis Inclitæ facultatis*

A

Ju-

*Juridicæ Domine Decane, Senatus Populusq; Aca-
demice. Hinc est, quòd, licet eam, dum in
tenebris adhuc apud se moraretur, cæ-
cam finxerit Antiquitas, oculata subitò
à Christi tempore facta utrumque forum
perlustret, Sacrum simul & profanum.
Etsi enim jam ab incunabulis suis ingens
sibi Corpus Juris efformaverat in usum,
semper tamen tenebricosum id extitit,
nec unquam effectum est lucidum magis,
quàm ubi bino id instruxerat oculo, dex-
tro scilicet & sinistro; hoc quidem, ut ea,
quæ sunt Cæsaris, legeret, illo, ut quæ
sunt DEI, observaret. Duplex itaque
Jus esse voluit, Fori unum, Poli alterum:
cujus utriusq; ut intaminata semper flo-
ret integritas, in id maximè omnium nul-
lo non tempore ferrebat industria, ut sa-
luberrimis quibusque in hoc utroque Jure
Doctoribus juxta ac Professoribus non
Universitatibus modò, sed Universo toti
prospectum foret. Quo in munere quan-
quam*

quam plurima , eaque maxima' Clarissi-
morum virorum invenienda sint Nomi-
na; nescio tamen , quid hacin recæteris
omnibus præstantius sibi hodiernus ven-
dicet Divus Juridicæ Facultatis no-
stræ Tutelaris Princeps : eò enim sa-
cerrium hoc Divi I V O N I S
Nomen in utravis istâ , quâ Sacrâ quâ
profanâ Juris peritia sublimè euasit , eò
celebre , & illustre , ut quos pari imitatio-
ni orbis proponeret , paucos , quos æqua-
li Sanctitatis venerationi Ecclesia exhi-
beret , habeat nulos . Unde opportunè
præsenti solennitati facturum me autu-
mo , si Eundem , quem duobus abhinc
Annis ex hoc ipso loco ob profusam in
pauperes munificentiam AA. Liberali-
um Magistrum vobis proponi audivi-
stis , ego hodiè ex eadem hac cathedra
publicum Juris utrjusque Professorem si
non creem , pro debito tamen dictionis
meæ argumento enunciem & declarem :

vel ob id maximè, quòd si genuinum Professoris Etymon inspici velit, quisquis non mentito titulo talis esse desideret, non tam intersit, ut verbis doceat, quām, quod alias docet, ipse prior exemplo Magister profiteatur.

Et quoniam ex ipso vestrū silentio ad tanti Doctoris vocem arrectos jam omnium aures animosque conspicio; non abs re erit, si, quod ad publicam Professorum Authoritatem maximè facere videtur, antequam ad mores illius, modumque docendi progrediamur, quis, qualisve à puero D. IVO extiterit, paucis præmittamus. Natus est igitur sacer-
rimus hic Themidis Minister Anno salutis fluente millesimo sexagesimo: primo videlicet sæculo post retroactos mille primos nostræ salutis annos; ominosè sanè, ut cum ipso novi sæculi ingressu in novam hanc mundi ætatem novum quoque, si fortè fugisset, aureæ Justitiæ sæcu-
lum

lum per cælestem hunc olim legislato-
rem revocaretur. Vitalem auram dabat
illi Britannia minor: Minor esse debebat,
ut si magna à Demosthene Græcia, à Tul-
lio Roma, hæc pariter Magna non fieret,
nisi postquam Magnum hunc genuisset
Principem JurisprudentūM IVONEM.
Primas Nativitatis cunas in pago posuit
vulgò Martini dicto: benè sperent Ege-
ni! quid enim ob ipsum tam Auspicatum
mendicis Divi Martini nomen ex hac
terra nasceretur aliud, quàm Pater pau-
perum, Advocatus orphanorum. No-
bilitatem sanguinis nobiliore auxit splen-
dore sapientiæ, quam quia Peregrinam
in terris esse audiverat, & ipse peregri-
nando per orbem assequi fatagebat.
Transit ergò è Britannia in Galliam, ut
qui ab infantia infensissimus impunitatis
osor fuisse legitur, non alibi quàm inter
Lilia in florem adolesceret & scientiæ &
sanctitatis. Ibidem Parisiorum in Urbe

dat operam literis, donec Pontificij Juris
notitiâ allectus Aureliam parem Lutetijs
metropolim se se ad Studia contulisset;
ubi in eam brevi sapientiæ virtutisque
gloriam excreverat, ut passim jam Au-
reus Aurelianensium Doctor esse merue-
rit & audiri. Excitatus interea talis tan-
tique viri famâ summus Trecoriensis Ec-
clesiæ Antistes, ne orbi ignotus lateret,
qui toti Urbi adeò indies clarescere cæ-
perat, privatis eum exuit tenebris, in-
que apertum, ut omnibus luceat cam-
pum educit; accersit ad se, suo muneri
associat, toti suæ Ecclesiæ præficit, su-
prenumque Tribunali suo instituit Præ-
sidem & directorem. Ingredior pedeten-
tim primam IVONIANÆ Doctrinæ
Palæstram. Eja! mortales adeste! Ha-
betis eretam vobis, quam adeatis novæ
sapientiæ scholam! Publica est, excludit
neminem, nisi privatus quis esse velit su-
orum potius commodorum usurarius

Ac-

Accommodator. Nec arcta hæc Icho-
la est nimium, nec incapax aut angusta;
cur enim, quæ totum orbem pro schola-
ri habere meretur, capax non esset, ut
omnes ad se rapiat justi verique amantes.
Libris non opus est multis, unica inspici-
tur necesse est Divini sui Professoris vita,
abundè sufficiens, ut ad se potius, quam
ad famosas illas dictantis leges Justiniani
Institutiones omnium vita moresque in-
stituantur. Liberale est insuper hujus sci-
entiæ pretium! nihilo Minerval hic sol-
vitur, nisi quod id exigatur, ut ea, quæ
exemplo didiceris, quantocyus animo
imprimas imitanda. Fiet inde, ut modi-
ci temporis discipulus multorum evadas
doct̄or s̄æculorum: si enim compendio-
fissima per Exempla via est ad doctri-
nam, non potest non esse, ut brevi erudi-
aris ad Justitiam, ubi quælibet hodierni
Professoris actio digna est, ut in perpetu-
am fulgeat æternitatem. Jus quidem Ci-

vile h̄ic traditur, à D E O tamen nun-
quam receditur; neque hoc ipsum, quod
Civile Jus dixi, ita accipi velim, quasi so-
lis h̄ic tractandis Jurium tractatibus scho-
la & doctio definiretur. Peregrina enim,
nec quæ communis est multis, h̄ic doce-
tur sententia, soli, si benè memini, Divo
olim familiaris Cypriano, quando Justitia
est pax populorum, tutamen patriæ, im-
munitas plebis, munimentum gentis, cu-
ra langvorum, solatium pauperum, hæ-
reditas filiorum, palam orbi est prolocu-
tus. Atq; hæc principalissima illa est the-
sis, quam sicut à teneris animo firmissimè
hausit, ita constantissimo vitæ tenore
cunctis ubiq; hodiernus scholæ nostræ
Professor ad stuporem prælegit. Etenim
si per partes partiri rem placeat, pax erat
populorum, quando non scissis tantùm li-
tigantium partibus, verùm & omnibus
aut animo discordibus, aut disparibus o-
pinione, sive ut Juris arbiter, sive ut pacis

in-

integrator comune factus est vinculum
charitatis. An patriæ tutamen fuerit, du-
bitare non licet: si enim funestissimam Re-
gnorum pestem injustitiā credimus,
quis est, qui eam remotius à suis quibus
præfuit locorum confinijs arcuit & ex-
clusit? iterum si imunitas plebis in eo niti-
tur, ut cuivis quod sibi proprium dicit
imune persistat & illæsum, à quo magis se
assecuturos id sperent, quàm ab eo, qui
solus ut suus non esset, omnium se fecit
comunem; Munitamentum quidem gentis
non erat, sed asylum: sicut enim nullum
est a modò tam forte propugnaculū, quod
non vi aurovè expugnari possit, ita ope
undique pulsis, nullibi securius extitit in-
digentiæ præsidium, quàm in pientissimo
hoc Patre misericordiarum **IVONE!**
Jam verò, quoniam eò venit oratio, ut
curam langvorum, solatium pauperum,
hæreditatem filiorum eum ostenderem,
hæreo profectò anno potiori jure Eun-
dem

dem filiorum Matrem, thesaurum pau-
rum, ægrorum medicum, desperatorum
salutem, naufragantium portum, vitam
dicere conveniat mortuorum. Quem e-
nim diem sol unquam orbi induxit, quo
non eodem æmulus soli Divus hic paupe-
rum Phœbus, miseris quoq; egenis, & lan-
guidis, aurorā invexerit felicitatis. Quæ
nox unquam tectis incubuit, quâ non ea-
dem auspicatus hic in nocte Phosphorus,
pressis mœstitiæ nube animis diem revo-
caverit pristinæ lœtitiæ, & jucunditatis.
Testes dictorum non advoco, loquuntur
hoc post mortem illus etiam superstites
tot surdi qui audiunt, tot cœci qui vident,
tot claudi qui ambulant, tot muti qui di-
scurrunt, tot leprosi qui mundantur, tot
mortui, qui ad vitam sunt resuscitati. Ne-
que hæc sola miraculorum illius est series
sed & ad posthumam illius intercessionem
etiamnum ex Energumenis profligantur
dæmones, ad pœnitentiam comoventur
pec-

peccatores, res amissæ recuperantur, so-
piuntur bella, captivi ex infidelium ma-
nibus aut carcerum claustris subito non
sine prodigijs sponte redeunt emancipa-
ti. Inter discordes sancitur pax: ecce pa-
cem populorum ! malignæ dissipantur
conspirationes: ecce munimentum gen-
tis ! qui navigant mare , ex procellis ad
portum remeant incolumes; ecce curam
langvorum, solatium pauperum, hæreditati-
tem tanti Patris nomen invocantium fi-
liorū. Et hæc in vita & morte quotidiana
Professoris nostri fuerat lectio, hic viven-
di docendiq; ordo, hæc Civilem justitiæ
suæ legem norma ac regula cunctis & sin-
gulis palam explicandi. Quanquam non
defuere quæ dictabat, digesta, postquam
fortunas & opes quascunq; habebat in
pauperūsus prodigalissimè digessit: neq;
Pandectæ postquam Paternum suum sinū
pro afflictorum Clypeo nulli non amantif-
fimè expandit. Quò id effecit, ut quoniā

hanc operam suam tam pio misericordia
oleo inunxerit, quam tot alij unà cum o-
leo perdidisse dicuntur, ipse solus mille-
cuplo fœnore æternam sibi sapientiæ
domum fabricando in cœlis sit lucratus.

Transeo nunc ad alteram Orationis
meæ partem, ut brevissimè licet, ex utro-
que tamen Jure publicum audiatis Profes-
sorem; Alterum quod Civili annexum
est, passim Jus vocatur Divinum; eo fine
sic dictum, quod quemadmodum prius,
quæ homini in hominem, ita hoc, quæ
homini in DEUM præstanta sint officia,
exactissimo ad æternas veritatis Leges
Canone tradat & præscribat. Quem qui-
dem Sanctioris vitæ Canonem quam fer-
reo stylo ab ipso suæ vitæ exordio sibi D.
inscripserit IVO, multis non egeo argu-
mentis. In ipsa etenim pueritia, jam gra-
vem senio Doctorem indutus, ut sibi quæ
sibi, Deoq; quæ DEO debita forent tri-
bueret, sibi nihil, DEO totum se tradidit
in

in holocaustum. Et cur argumentabatur
jam tum secum ipso, cur negarem me ti-
bi Universorum Domine DEUS ! quid-
quid sum, meus non sum, sed illius, qui an-
tequam essem, me ab æterno ut tuum pos-
sedisti. Et cui justius meæ animæ corpo-
risq; fructum assignarem, quàm tibi, qui
non ad mea tantùm sed in me totum æ-
quali ad rem & in re jure indispensabilem
tenes Dominij Jurisdictionem. An ego
forsitan terræ pulvisculus tibi præjudi-
cem, qui jam ante sæculorū initium, non
bona solùm, sed irrefragabili fidei verita-
te ob infinitum Creationis titulum hanc
meam ergate servitutem præscripsisti.
Quin potius uscrape me totum, nunquā
enim feliora capiam salutis incremen-
ta, quàm ubi me totum in tuo servitio su-
sceperis consumatum. Audivistis quàm
aurea dictet Theoremeta veritatis, quàm
conformem dictis adjunixerit operum
praxim, paucis modò agite excipiatis.

Ergò nè ab ijs, quibus à juvēne innutritus
erat, senex deflechteret, pietatis officijs,
præfato, quod splendide, non magis quām
dignè sustinuerat, Judiciarij Præsidis se se
abdicat munere, utq; pro diversitate do-
ctrinæ diversum pariter discipulis erige-
ret docendi Lycæum, Urbium strepitus
fugiens Lahonetanæ remotæ cujuspiam
in solitudine Ecclesiæ se includit latebris,
mundum extra ipsum mundum quæ jure
tam novo, quām antiquo soli D E O sint
propria edocērūs. Quidquid interim hic
agebatur, volumen erat, in quo compen-
diatæ ab eodem nostræ erga Deum Justi-
tiæ Leges & tabulæ cernebantur. Volu-
men dixi, quod si paucis licet hodie scho-
lijs dilucidare vellem, Fastis profectò in-
digerem & annalibus pro simplici etiam
actorum enarratione. Totus etenim in
Deum absorptus feliciorē cum Princi-
pe Philosophorum Magistro Aristotele
in Divino hoc charitatis pelago scientiæ
ca-

capturam faciens, mirum est in quem Cœ-
lestem è Civili doctore Divini Juris trans-
mutatus sit Professorem. Quid enim? jam
quantus erat in Dei possessionem trans-
latus, præter nudum quem traxerat vitæ
spiritum habebat nihil, quod in Dei ma-
nus residuum commendaret. O felix usura!
ubi anima DEO donata non perditur,
sed tutissimo pignore cœlo datur in mu-
tuum, centuplicato gaudiorum fœno-
re in vitam æternam redditura. Quidquid
loquebatur, cum D E O erat, aut de
DEO, quidquid agebat mors sui esse de-
bebat aut victoria. Jejunia & abstinenti-
as, quas odiebat diurnas, non admitte-
bat, nisi hebdomadarias, utpote qui se-
ptem sæpiùs diebus omnis cibi expers so-
lis cadaveribus meditatæ mortis se pa-
visse legitur. Tam saturo stomacho som-
nus accessit aut rarus, aut nullus, nisi to-
tam fortè vitam illius somnum dicere ve-
lis, quòd à primo statim rationis usu mun-
da-

dana omnia veluti somnia reputabat.
Vestis quam induebat, membrorum erat
laniena; in hoc uno etenim, humillimus
cætera, superbiæ insimulari poterat,
quòd alio colore membra tegi non vel-
let, quàm purpurâ fusi ex dilacerato cor-
pore croris. Illud ad rem meam aptissi-
mum accedit, quòd si quando somni quie-
tem admiserat, alio pro cervicali nota-
tus non fuerit uti stragulo, quàm sacro
volumine Bibliorum, ut nullus jam in con-
troversiam vocare posset, quàm diligens
dum vigilaret Divinarum rerum Profes-
sor extiterit, qui dormiens etiam sacer-
rimo huic Divinorum Jurium codici tam
industriosâ quiete incumbebat. Neq; ul-
terioribus me munio argumentis, quan-
quam si ab extrinseco quoq; argumentari
luberet, non deesset sive cādidissima, quæ
dictis accineret, columba, neq; splendi-
dissimæ, quæ veritati affulgerent, igni-
um faces, testimonia pro re mea omni-
nō.

nō opportunissima, quorum dum illa sæ-
pius orantis in Ecclesia verticem super-
volitare est visa, quid aliud quàm plenum
sapientiæ spiritu Doctorem comproba-
bat: dum isti sæpiissimè globi ignei instar
velut coronata Doctortum laureola litan-
ti ad aram insidere sunt observati, quid
aliud signabant augurij, quam jam olim
auspicatissimo symbolo præfigurârunt,
quando non aliâ quàm ignitâ hujusmodi
figurâ, his ipsis, quibus medij inhæremus
Pentecostalibus festis duodenos illos E-
vangelici Collegij discipulos in publicos
declarârunt Orbis Professores. Quæ
cùm ita se habeant, si ea quæ dixi non
tam dicta quàm à vobis mereantur esse
approbata, age Inclita Facultas Juridi-
ca, neq; alium sicut haçtenus ita & impo-
sterūm, quàm hunc Eundem vitæ mo-
rūmq; tuorum admitte Magistrum; ne-
scio enim, si hunc Divum Doctorem ex-

C

cipias, quis Dux tibi melior proponi pos-
sit in exemplum, ex cuius solo etiam no-
mine, nihil aliud præter Iuris Vtriusq;

Optimum legere volui Profes-
forem.

D. I. X. I. Su

